

homines Deus sibi acquisivit ex beneficio *creationis & conservationis*. Potentiam autem puniendi nemo sanus ei denegabit.

§. 3. Hoc imperium Dei in homines ad tria momenta se extendit. etenim secundum hoc

I. *Deus hominum actionibus certam normam, quam adpellamus legem, prescribere potuit; quod autem simul id voluerit, hominesque ad eam observandam etiam sub metu poenae obligaverit, inde probatur, quia, dum ex benignitate homines creavit, ut essent felices, simul vi sapientiae voluit existere certam normam, utpote sine qua hominum fecilitas promoveri haut potuit. Et hoc est fundamentum philosophiae practicae.*

II. *Deus media perveniendi ad salutem eternam determinare potuit, & quanam actu praescripsit, docet S. Scriptura. Et hoc est fundamentum theologiae.*

III. *Deus rerum veritates determinare, & quicquid intellectus humanus pro vero, quidquid pro falso habere debeat, prescribere potuit. Et hoc est fundamentum philosophiae theoreticae.* Primum imperii divini caput communicatum etiam hominibus est, ut sc. homo Rex hominibus aliis normam actionum felicitati externae inservientium praescribere juste possit. Reliqua autem duo imperii divini capita pertinent ad *reservata Dei*, ita ut, si homo imperium in conscientiam & intellectum aliorum hominum sibi arrogare vellet,

mon

§ H

ma-